



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Avres. Descriptio v.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

cernuntur, quo & eorum securitati provideatur, & minori naturæ dispendio spiritus dissipentur: quin vt extrinsecus irruentibus iniurijs minus sint obnoxij, ossibus vndequaque, & palpebris, quasi proprijs sepiementis sunt obuallati: magnitudo eorum tanta est, quanta ad rerum imagines sufficiat: natura tota est aquea, mollis, lubrica, splendens, pellucida, vt celerius rerum omnium spectra, colores, imaginem excipiant. Totum præterea oculorum corpus, sex musculis, totidem tunicis, tribus humoribus, duobus nervis, venis, & arteriis quamplurimis, adipeque copioso constituitur. Musculi vndequaque munita volubilitate perniciter versant, tunica fluentem naturam, veluti solidiori vallo muniunt, quarum vna est venalis, & arteriis quamplurimis distincta, funde similitudinem reddit, altera cornea duritie, & pelluciditate cornu prætenue, & accuratè politum refert. Tertia imæ acinum, & folliculum, à quo pedunculus auulsus est, figura, colore, tenuitate, læuitate externa spectantibus exhibet. Quarta tenuitate telas aranearum æmulatur. Quintam reticularis à retis similitudine medici dixerunt. Postrema veteribus incognita, vitrea, & ipsa vitreum humorem, omni ex parte ambit. Detectis tunicis effluunt statim, & in apertum prodeunt partes oculorum nobilissimæ: humores quippe, aqueus, crystallinus, & vitreus, sed crystallino summus debetur honor, qui anima oculi, speculum internis, & centrum ideo dici solet.

Quid neruos loquar, quorum vnus visioni, alter motioni deseruit, quid adipem? quid venas? quid arteriolas? quid musculos? portenti profecto simile est, quod vno corpufculo, tam varij generis particulas natura concluserit. Quid de oculorum effectis dicam? vident, mirantur, adamant, concupiscunt, amoris, iræ, furoris, misericordie, vltionis indices sunt, in audacia profiliunt, in reuerentia subsident, in amore blandiuntur, in odio effertur, gaudente animo hilares subridunt, eodem moerente languescunt, in ira exasperantur, in cogitatione, ac cura quiescunt, cum mente semper intenti: vnde tot vsus, tot nomina, torui, truces, flagrant, graues, transuersi, limi, submissi, blandi, ad lummum ad animi motus ita sunt compositi, vt alter animus esse videatur.

Vide Plin.
l. 7. c. 7.
p. 253.

A V R E S.

Descriptio V.

AVres animi lances, suam quoque merentur commendationem, quam Cicero li. 2. de natura Deorum paucis perrexit.

Auditus semper pater, cuius etiam sensu dormientes egemus, a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret, prouisum etiã, vt si qua minima bestiola conaretur irrumperere, in foribus aurium, tanquam in visco inhaeresceret: Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causa factæ, tutandique sensus, & ne adiectæ voces laberentur, atque errarent priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relaxatus amplificatur sonus. Quocirca, & in fidibus, testudine resonatur, aut cornu, & ex tortuosis locis, & inclusis redduntur ampliores. Aurium item est artificiosum quoddam, & admirabile iudicium, quo iudicatur, & in vocis, & in tiliarum, ac neruorum cantibus varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuscum, leue, asperum, graue, acutum, flexibile, durum, quæ hominum solummodo auribus iudicantur.

C O R.

Descriptio VI.

SED nihil corde admirabilius hoc vasculo, quo tanta rerum continetur immensitas, de quo præclare Laurentius.

Hoc præstantioris animæ sedes, vitæ domicilium, fons sanguinis, & quasi perpetuus caloris focus, quo vigente omnia vigent, intereunte marcescunt, atque dilabuntur. Primum pyramidis est figura sensim gracilifcente, ex basi enim ampliore in turbinatum mucronem definit, quo longitudo ad tractum, rotunditas ad robur, amplitudinemque conferat. Situm est in medio thorace, vt vitalem spiritum, & viuificum nectar salutaris instar syderis, in omnia extrema diffundat. Quantitas eius exigua, vt cæterorum vite principio.